PA 6789
.B8
Copy 1

PA 6789
.B8
Copy 1

QVAESTIONES TIBVLLIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XVI. MENSIS MARTII A. CIↃIↃCCCLXIV. HORA XII.

PVBLICE DEFENDET

HENRICVS BVBENDEY

HAMBVRGENSIS.

51805

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

BERNHARDVS ESCHENBVRG SEM. PHIL. SOD. ORD.
OTTO RICHTER SEM. PHIL. SOD. ORD.
ERNESTVS RAVTENBERG SEM. PHIL. SOD. EXTRAORD.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII

A. CIↃIↃCCCLXIV

PA6789
.B8

96-845419

Tibulli carmina cum reliquis duobus poetis, qui vetere consuetudine semper fere eum comitantur, iam tot virorum eorumque saepe doctissimorum experta sunt curam, ut iure exspectare possimus, haec carmina inter ea esse numeranda, quae quam potest maxime ea forma possidemus, qua apud veteres ipsos exstabant. Et revera vix alius scriptor inter editores suos tales viros enumerare potest, quales Tibullus: Muretum, Scaligerum, Vossium, Heynium, Lachmannum, qui an posteriorum curae multum reliquerint iure dubitandum est. Tres autem potissimum caussae sunt, cur huic scriptori plus quam aliis editores operam dedisse non mirabimur: primum controversae sententiae de auctorum carminum, quae sub Tibulli nomine feruntur, numero et persona: tum mala auctoritas et condicio recensque origo omnium fere codicum, qui carmina Tibulliana nobis tradiderunt: falsa denique plurimorum editorum opinio de ipsorum carminum indole atque structura. Atque quod primam quam diximus caussam attinet, haec res nobis post Vossii, Lachmanni aliorumque curam eo pervenisse videtur, ut aliquid novi dici vix possit, cum et quae sciamus tertium librum non esse Tibulli sed Lygdami cuiusdam, primum quarti libri carmen spurium esse, carmina eiusdem libri inde ab octavo usque ad decimum secundum Sulpiciae esse, cetera eius libri carmina cur a Tibullo

abiudicemus caussam exstare nullam — in dubitationem vocari vix possint, et quae nesciamus — quis fuerit Lygdamus, quis auctor panegyrici ad Messallam, a quonam et quomodo corpus Tibullianorum carminum, ut nunc exstat, editum sit — nos inventuros esse spes exstet quam minima. Mala deinde quam memoravimus codicum quos habemus condicio effecit, ut non solum quibusdam locis vera poetae verba non ad nos pervenirent, sed etiam lacunae exstarent totique versus hodie non legerentur, quin etiam — quamquam id raro — in carmina irrepserint quae Tibulli non essent. Quas corruptelas ut emendarent, cum magna editorum pars elaborasset, multi sane loci nunc restituti leguntur Scaligeri, Heinsii, Heynii, Lachmanni aliorumque doctrina atque ingenio. Saepius tamen carmina retractanti non deerunt loci, ubi illi aut verum non invenisse aut corruptelam non perspexisse videantur. Tertia vero caussa, cur plures quam alii merito experta sint editiones carmina, ipsorum indolem atque structuram dixi. Cum enim — id quod neminem fugiet — multis locis in ipsis elegiis quae insunt sententiae aperto ac manifesto vinculo non contineantur, hoc quibusdam editoribus, qui id abesse non posse arbitrabantur, caussae fuit, ut carmina lacerarent atque in complures partes divellerent, quin singula disticha separarent a carminibus atque alio loco insererent itaque nova saepe carmina conglutinarent. Auctor huius opinionis Josephus est Scaliger, qui quod in restituendis singulis locis profecit, damno quod intulit laceratis carminibus compensavit. Ita enim quaedam carmina miscuit vir ille ingeniosissimus, ut Tibulliana dici vix possint, atque ipse Scaliger non prorsus confisus ingenio suo, quamvis glorietur, se id primum odoratum esse, confiteatur in castigationibus ad primum carmen, quod omnium maxime expertum est cultrum (p. 129 editionis anni 1600): „quae

quomodo suo loco luxata fuerint, proclivius est mirari, quam eius rei rationem reddere.“ Plane eandem viam eum secutus ingressus est Broukhusius in editione sua, nova non addens. Quam viam Vulpius primus post eumque Heynius deserere ausi sunt, et illi tamen aliquanto plus quam opus erat versus in carminibus omissos esse putantes: neque Vossius carmina ab illis divulsa rursus coniungere voluit. Ad codicum demum auctoritatem carmina revocavit Lachmannus. Qua re sine dubio moti coeperunt viri docti accuratius inquirere in eas caussas, quae Scaligerum eiusque comites adduxerant, ut tantam cladem parerent carminibus Tibullianis. Atque hoc inprimis factum est a Disseno, qui editioni suae Tibullianae praemisit praeter vitae huius poetae enarrationem tria capita de poesi Tibulli, ex quibus medio inscripsit: de forma et compositione elegiarum Tibulli (p. LXII — p. CXVIII), ultimo: de elocutione (Kunſtſtyl) Tibulli (p. CXVIII usque ad finem praefationis). Non potest negari, Dissenum multum profuisse Tibullo arte eius in componendis versibus indagata et prolata, neque non multum fecisse ad ipsa carmina a probro eis a Scaligero obiecto purganda: attamen saepe quae ars ipsi videtur esse Tibulli in pangendis carminibus adhibita nobis ars vix videbitur. Initium autem disputationis inde sumit (p. LXVII), quod male adhibita Platonis sententia iustum carmen omne ex exordio, medio carmine et exitu compositum esse dicit. Quod quamvis quodam modo dici possit, Dissenum tamen eo adduxit, ut omne carmen ita in tres partes divelleret, ut lex potius in carmina illata, quam ex iis petita videretur. Saepe in ipsas res nos agit poeta, ut initium vocari vix possit, et si partes carminum, quas Dissenus extare dicit, accuratius intuemur, alias eodem iure partitiones institui potuisse concedemus. Talibus omnino legibus mere externis nullus

vere poeta circumscribi potest. Tum ad medium carmen procedens (p. LXXII), quod proprium ubertatis sedem vocat, hoc semper in complures partes divisum esse dicit, variasque figuras enumerat, quibus poeta utitur in describendis rebus, postremoque (p. LXXXIX) ad considerationem transit formae et structurae totius elegiae ex his partibus conflatae. Qua in re multa quidem attulit haud negligenda: summam autem disputationis si spectamus, quam ille artem vocat ea ad partes semper parvas elegiarum spectat singulosve versus: quod ad totum carminis corpus attinet contentus est, ubi exordium, medium carmen aut bipartitum aut tripartitum atque finem exstare demonstravit: totorum carminum structuram si ostendere vult, nihil fere exhibet nisi idem carmen pedestri oratione compositum.[1]) Quod an iure artem in componendis carminibus adhibitam vocare possimus, valde dubito. Unumquodque enim carmen in partes secundum sententias divelli posse consentaneum est: ars tamen compositionis ibi tantum cernitur, ubi singulae partes carminis singulas sententias complectentes tali inter se vinculo continentur, ut ratio logica quae inter singulas sententias intercedit externo quodam vestigio atque indicio perspici possit: atque tale indicium nihil aliud esse potest quam numerus versuum.

Interdum in ipsis carminibus sententias sibi oppositas pari versuum numero completas esse, iam Dissenus viderat: mirum igitur videtur, quod non conatus est quaerere, in toto carmine nonne reperiretur id quod in parte extare perspexerat. Quae cum omiserit nos id facere instituimus atque eo pervenimus, ut non in omnibus quidem carminibus, at certe in quibusdam ea inveniretur sententiarum se-

[1]) Videas e. g. quae protulit p. XCIII de carminis II, 1 compositione aut p. XCVI de carmine II, 4.

cundum versus dispositio, ut sententiis singulis eodem ordine logico positis par respondeat versuum numerus. Quod non in omnibus invenimus eiusmodi ordinem, ne in plurimis quidem talem, ut totum carmen contineat, nobis ostendit, poetam haec carmina minore arte tractasse, aut aliquam sane artis partem in aliis carminibus neglexisse, quam in aliis adhibuit: nisi, ut saepe, censendum est lacunis aliisve corruptelis carmina esse deformata.

Cum igitur Scaligeri de carminum Tibulli mala compositione somnia evanuerint, nunc e contrario demonstrandum erit, poetam carmina sua peculiari arte tractasse: quod ut hic faciam cum mihi proposuerim eas elegias potissimum tractabo, in quibus per totum carmen ea quam diximus arte usus est poeta. Tum autem his adiungere quaedam est in mente, quae me iudice ostendent, non ita iam Tibulli elegias a criticis esse tractatas, ut ab omnibus mendis liberas dicere possimus.

Optime autem, quantam artem poeta adhibuerit in versibus atque singulis sententiis in membra quaedam disponendis, cernitur in libri primi carmine quinto. [1]) Scriptum est hoc carmen post discidium poetae cum puella sua ortum, quod discidium se vix ferre posse initio carminis profitetur. Dissenus more suo Tibulli carmen sine exordio et exitu legitimo et sine medio carmine cogitari non posse ratus exordium usque ad v. 8 progredi, exitum ultima decem disticha complecti dicit, relicum carmen in duas partes esse disponendum, quorum prior usque ad v. 46, posterior inde ad exitum usque pertineat. [2])

[1]) Numeris per totam dissertationem utor eis, quos Hauptius exhibuit in editione, quae prodiit Lipsiae 1861.

[2]) Latius quam in explicatione huius carminis Dissenus exposuit atque dispositionem suam defendit: de poesi Tibulli p. XCVIII sq. p. LXXVI.

Est enim hoc carmen, ut brevi quid sentiam dicam, ita compositum, ut semper quaterna disticha aut singulatim posita aut bis repetita singulis distichis dirimantur, ita ut totum carmen in has dividendum sit partes:

Prima pars: duo systemata A. B. (ita enim quattuor distichorum coniunctionem nominare placet) v. 1—8. 9—16.

a. v. 17. 18. primum distichon (ut ita dicam) intercalare.

Tum: iterum duo systemata C. D. v. 19—26. 27—34.

b. v. 35. 36. alterum distichon intercalare.

Sequitur: E. v. 37—44. quintum systema, quae inde ab hac carminis parte singula ponuntur.

c. v. 47. 48. tertium distichon intercalare.

(Omisi v. 45 et 46, de quibus post dicendum erit.)

F. v. 49—55. sextum systema.

d. v. 57. 58. quartum distichon intercalare.

G. v. 59—66. septimum systema.

e. v. 67. 68. quintum distichon intercalare.

H. v. 69—76. octavum systema, quod est finis carminis.

Totum igitur carmen, si numerum solum spectas, sic est constructum:

$$2 \times 4 + 1; 2 \times 4 + 1; 4 + 1; 4 + 1; 4 + 1; 4.$$

Ne autem quis dicat, hanc dispositionem neque utilitatem quandam praebere neque aliquid, quo se magis commendet quam innumerabiles aliae versuum dispositiones, quas eodem iure instituere potuissemus, demonstrandum erit, sententiam huius carminis in easdem partes divisam esse atque versus secundum ordinem supra exhibitum. Quod facile perspiciet qui carmen perleget.

Semper enim quattuor distichis illis una sententia continetur, quae neque in eis quae praecesserunt iam memorata erat neque ultra fines eius systematis procedit, ut iure dicere possimus, nunquam non cum versuum numero illo

sententias singulas congruere. Ita systema E hanc sententiam continet, se saepe aliis rebus amorem Deliae restinguere voluisse, puellae autem recordationem hunc conatum irritum reddidisse. Systema F lenae imprecationes continet. Quod sequitur puellam monet, ut lenae praecepta, quae divitem amatorem praeferendum duxit, deserat et se pauperem amplectatur. Ultimum denique systema H divitem illum amatorem commonefacere vult, ut se quoque a feliciori amatore pelli posse non obliviscatur.

Paullo diversa est condicio illorum systematum, quae non singula sed coniuncta exhibentur, quorum duo prima arcto inter se vinculo cohibentur: sed illud (A) poetae reditum ad puellam eiusque dolorem continet precesque, ne nimis in ipsum saeviat puella: alterum (B) officia enumerat, quae poeta puellae aegrotanti praestiterat. Tertium autem et quartum systema (C et D) ambo in eo versantur, ut amoenitates vitae rusticae multis imaginibus illustrent.

Singulis autem distichis, quae interrumpunt systemata illa, non minus certa intercedit cum his ratio. Semper enim novi aliquid addunt, quod neque in sequentibus neque in antecedentibus versibus dictum erat. Aut quae praecesserunt concludunt et eventum atque exitum continent eius, quod antea dictum erat, velut distichon d:

> Evenient: dat signa deus: sunt numina amanti,
> saevit et iniusta lege relicta Venus.

aut traducunt nos ad ea quae secuntur, velut c:

> Haec nocuere mihi, quod adest huic dives amator:
> venit in exitium callida lena meum

aut paucis verbis complectuntur quae praecesserunt simulque contrarium evenisse, quam quod exspectari poterat, indicant, ut in illis distichis (a. b.), quae post sedecim versus posita sunt:

Omnia persolvi: — fruitur nunc e. q. s.

Et

Haec mihi fingebam: — quae nunc e. q. s.

Vereor, ne nimis progrediar, si illa re quoque adiuvari ea, quae de responsione versuum exhibui, dicam, quod in paenultimo atque in secundo systemate ter ab eadem voce incipiunt disticha (in illo a verbo *ipse* in hoc a verbo *pauper*) atque in quarto atque quinto systemate bis ab eodem verbo (*illa* et *saepe*).

Certum igitur consilium secutum esse poetam quod attinet ad numerum versuum cum sententia conciliandum, ita ut singulae sententiae pari versuum numero contineantur, vix quisquam negabit.

Merito autem interrogari possumus, quomodo rationem nullam habere potuissemus distichi illius (v. 45. 46):

Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
vecta est fraenato caerula pisce Thetis.

quod cum totum interrumpat versuum ordinem ea quae diximus tollere videtur. Quod tamen eam ob caussam factum est, quia hos versus delendos ducimus. Neque id primi conamur: Gruppius in libro, cui inscribitur „elegia Romana“ p. 192 ostendere voluit, hoc distichon glossema esse atque margini adscriptum postea in ipsa poetae verba irrepsisse. Caussam hanc potissimum profert: non esse e consuetudine Tibulli, ornamenta e mythologia petita ita laxe adiungere, neque congruere cum concitato poetae animo hanc imaginem. Quam sententiam postea denuo professus est initio libri, cui inscribitur „Minos“. Adstipulatus ei est, quamvis novis argumentis non additis, Doederleinius in censura primi libri (Münchener Gel. Anz. 1839 vol. VIII. p. 774). A novissimis editoribus (Hauptio et Rossbachio) non probata videtur sententia. Certe haud negligendo argumento usi sunt viri illi docti:

nusquam enim fere in carminibus Tibullus imaginibus e mythologia petitis utitur ad carmina sua illustranda, hac ipsa re valde diversus a Propertio aequali suo. Sed mihi certius dici posse videtur. Contra logicam enim rationem me iudice illud distichon offendit.

In iis enim quae praecesserunt hoc poeta dicere voluerat, se ab aliis puellis devotum dictum esse et devotum quidem nefandis puellae suae artibus: hoc autem non ita se habere: non artibus illius sed facie, lacertis, comis i. e. tota forma puellae se devotum esse, ita ut videamus, notionem „devoti“ esse, in qua summa rerum versetur. Sed prorsus aliter illud quod sequitur distichon. Talis i. e. talibus lacertis, facie, comis Nereis Thetis ad Pelea vecta est, sed non ut eum devotum redderet (hac de re enim omnino nihil dictum est). Videmus igitur illud quod maximi momenti est in illis versibus, in hoc disticho prorsus neglegi: contra quae ibi tantum exempli caussa addita erant ad pulchritudinem puellae magis illustrandam atque ante oculos ponendam in hoc disticho ita pro summa habita esse, ut non dubitaret, qui hoc distichon fecit, comparatione hac ex mythologia petita illud magis etiam illustrare. Itaque auctor distichi, de quo modo diximus, illorum versuum iustam significationem non recte perspexisse videtur, sed addidisse quae carmen turbarent.

Consequitur igitur, ut illud distichon a Tibullo profectum esse cogitare non possimus. Quae res non minime adiuvatur eo, quod illo demum disticho deleto dispositio versuum, quam supra exhibuimus, nusquam turbatur.

Minus iam aperte in quibusdam tamen partibus certissimam prae se fert compositionis legem primum carmen de Marathi amore compositum (I, 4). Merito editores hoc carmen inter elegantissima numerandum esse ducunt, ut Heynius: neque Scaliger aliique, qui carmina Tibullian

discerpunt, hoc carmen turbaverunt nisi transpositione quadam versuum, de qua mox iudicabimus. Merito igitur ab illo carmine, in quod tot conferuntur laudes, elegantiam illam Tibullianam abesse miraremur. Atque aliquid iam Dissenus vidit: qui cum (de poesi Tibulli p. LXXIV) de compositione per oppositionem, ut vocat, exponit, haec habet: „potest vero aliis in locis etiam duobus distichis opponi unum, quod bis factum I, 4, 41—52, ubi primo et secundo disticho tertium, quarto et quinto sextum opponitur.“ Ibi enim ad illustrandum distichon v. 39. 40:

Tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
cedas: obsequio plurima vincit amor.

bis ter disticha adhibentur. Primis sex versibus (41—46) enim dicit: neu comes ire neges, quoquo ille se vertat: postremis (47—52): ne te paeniteat durissimos quos ille vult labores suscipere.

Hanc rationem si ulterius persecutus esset Dissenus, etiam in praecedentibus versibus eundem numerum recurrere animadvertisset. Totum enim carmen re ipsa ferente tres partes exhibet, quorum media orationem Priapi ad poetam habitam, prima atque ultima ipsius poetae verba continent. Atque statim ipsa Tibulli oratio, quae initium facit carminis, tria complectitur disticha (1—6). Tum interposito uno disticho, quo poeta Priapum sibi quae secuntur respondere dicit usque ad eum, de quo iam egimus locum quindecim exstant disticha (9—38), quibus Priapus Tibullo praecepta dat, quo modo puerorum amorem sibi conciliare possit. Qui tamen versus ita sunt comparati, ut facile videamus, in quinque partes eos esse distribuendos, quarum unaquaeque excepta ultima unam continet legem Priapi. Singula autem systemata — ut eodem quo supra utar nomine — ita sunt composita, ut semper primo disticho tota sententia contineatur, quae duobus sequenti-

bus latius exponitur et illustratur. Sic primo systemate (9—14) poeta dicit: fuge te credere pueris: unusquisque dignus est qui ametur (9. 10). Quam sententiam latius explicat poëta quattuor sequentibus versibus, qui quibus rebus placere possint pueri, exponunt. Alterius systematis (15—20) summa sententia inest in verbis:

Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
taedia

tertii (21—26):

Nec iurare time: Veneris periuria venti
inrita . . . . . ferunt

quarti (27—32):

At si tardus eris, errabis: e. q. s.

Quintum systema (33—38) novum praeceptum non continet: variatio est eius sententiae, quae in antecedente iam exposita erat, non tamen prorsus eadem. Haec horum versuum dispositio ita est comparata, ut de certo poetae consilio in carmine componendo vix liceat dubitari. Sequentibus igitur versibus, ut iam vidimus, eodem numero utitur, hac tantum mutatione adhibita, ut non tria disticha novam complectantur sententiam sed quae uno breviter exposita sunt disticho, bis tribus distichis vario modo a poeta illustrentur. In iis tamen qui secuntur versibus (53—72) legem, quam in priore carminis parte sibi imposuit poeta non ita severe observatam videmus, quam in relicua parte. Finem imposuit Priapus praeceptis Tibullo datis atque duobus distichis exponit, illa si adhibuerit, puerum ei propitium fore (53 – 56). Tum autem novum introducit argumentum prius non memoratum, nunc pueros munera plus spectare quam alias res praecipue Musas. Quod iterum duobus exponit distichis (57—60). Hoc ut illustret, bis tribus distichis (61—66 et 67—72) opponit puerum munera negligentem ei qui vendit amorem, ita ut eundem numerum recurrere

videamus quo antea usum esse poetam vidimus. Versu 72 Priapus finivit adhortationem suam, sequiturque exitus carminis, quem initio prorsus respondere videbimus. Post duos enim versus, quibus poeta Priapum haec dixisse narrat, quique manifesto respondent versibus 7 et 8, tria disticha leguntur (75—80), variis verbis hanc sententiam quae proferunt „vos me celebrate magistrum." Ultimorum quattuor versuum quod omnino rationem non habuimus, caussa facile perspicietur: prorsus enim aliter dicta sunt quam relicum carmen. Nam iis, quae in hoc serio praescripta videbantur esse, his versibus ironia quadam usus irridet poeta, dicens valde ridiculum se futurum esse praecepta dantem, quae sibi ipsi nihil prosint.

Ita in hoc quoque carmine quamvis non eodem modo quam in priore certam atque manifestam spectamus compositionis artem. Quam non perspexerunt Scaliger et qui semper fere cum eo facit Broukhusius, moti ni fallor eodem argumento, quod etiam Muretus protulit. Hic enim postquam exposuit (scholia in Tibullum p. 47 eius editionis quae prodiit Venetiis 1562), pentametrum (v. 8) abesse a quibusdam libris veteribus neque se putare eum Tibulli esse (quod quam sit parum probabile, cum nemo praeter Muretum invenerit codicem, in quo absint haec verba, neque insit, in quo offendas, iam ostendit Scaliger) addit, in iisdem libris ad marginem scriptum esse: FRAGM. pergitque: „ego autem facile mihi persuaserim non unum modo sed plures versus hoc loco desiderari. Etenim quae respondet Priapus non pertinent ad id, quod ex ipso quaesierat Tibullus." Eodem, ut videtur, argumento usus Scaliger (castig. p. 134) facile se ignoscere editoribus ait, quod fragmentum hoc putarint esse, propter abruptam sententiam, atque loco corrupto, ut putat, medelam ut adhibeat versus transponit. Quae medela quamquam Scaligero luce

clarior esse videtur, hic tamen omitti potest, quippe quae et minus probabilis videatur neque necessaria sit. Videntur autem mihi viri illi docti nexum minus desiderasse initio orationis Priapi (quid enim vetat Priapum praecepta dantem, quomodo amorem sibi conciliet, antea dehortari poetam, ne omnino pueris operam det) quam ante versum 15. Ibi enim statim de ea amoris condicione loquitur Priapus, ubi puer amatori primum petenti negavit, cum omnino non dixisset, quomodo primum adire deberet puerum amator. Hoc itaque ne desideraretur, Scaliger versus 39 et 40, in alium locum remotis versibus 9—14, initio orationis posuit. Concedendum sane est, aliquo modo hiare orationem hoc loco: sed ipse hiatus multo minus nos offendet, cum videamus, omnes versus, qui initio systematum positi sint, novi aliquid incipientes, nullo cum iis quae praecesserunt externo vinculo coniunctos esse. Talis igitur erit poetae sententia versu 15: sed — si nihilo minus te credere vis pueris — ne te capiant taedia, primo si forte negarit; ita ut omni ratione destituta videatur artificiosa illa Scaligeri versuum transpositio. Totum igitur carmen sic constructum videtur:

Initium: 3 + 1

Praecepta Priapi: 3 + 3 + 3 + 3 + 3 + (1 + 3 + 3)

Finis praeceptorum: 2

Questus de avaritia puerorum: 2 + (3 + 3)

Finis 1 + 3 disticha.

Statim cum hac elegia iungendam esse quartam libri secundi propterea censeo, quod haec quoque, ut nemo negabit, trium distichorum systemata continet. Haec autem non per totum carmen inveniuntur sed ea solum parte non interrumpuntur, quae mediam atque primariam carminis efficit. Primis enim 14 versibus poeta nobis condicionem suam depingit, ita ut in mediam rem feramur.

Dicit se pro servo a Nemesi haberi (1—6), quo servitio se quidvis pati malle (7—10): omnia nunc sibi acerba esse, praesertim cui carmina nil prosint, sed a quo pecunia flagitetur (11—14). Ita in medium carmen delati sumus, cuius summa sententia querellae sunt de avaritia puellae. Hoc ipsum medium carmen autem sexies trina disticha sibi opposita continet (15—50). Primi systematis (15—20) haec est sententia:

ite procul Musae, si non prodestis amanti

quae verbo paullo aliter repetuntur versu 20:

ite procul Musae, si nihil ista valent

ut iam inde cernere possis, haec tria disticha arctius inter se esse coniuncta. Secundum systema huic oppositum (v. 21—26) poetam quodvis scelus meditantem exhibet pecuniae quaerendae caussa. Tertium (27—32) et quartum (33—38) systema imprecationes illius continet qui primum divitias conquisivit, puellasque docuit pecuniae colligendae operam dare. Quintum (39—44) et sextum (45—50) systema rursus ita sibi opponuntur, ut illud vituperationes contineat mulieris avarae, hoc laudes puellae non avarae. Quae systemata ita sunt comparata, ut singuli fere versus sibi respondeant: ita versus 41:

quin tua tum iuvenes spectent incendia laeti

manifesto opponitur versui 47

atque aliquis senior veteres veneratus amores.

Post haec carminis exitus incipit: vidit illam avaram esse et vituperavit illam: sed mutari cum nequeat, illius lege illam sibi esse amandam concedit (51—54) et sub finem tribus rursus distichis quae respondent initio positis profitetur, se quidquid illa misceat potaturum.

Itaque versuum numerus sic erit distribuendus. 3. 2. 2 | 6 × 3 | 2. 3.

In parvis carminibus nos melius etiam quam in maioribus manifestam compositionis artem inventuros esse,

veri simile videbitur, quod in talibus carminibus sententiae in breve contractae atque secundum numerorum rationem dispositae ab auribus facilius percipi possunt. Neque fallemur. Breve enim illud carmen, quod in natales Cornuti composuit poeta (II, 2) manifestam praebet sententiarum secundum numeros dispositionem. Aliter enim atque Disseno mihi hoc carmen constructum esse videtur. Summa enim sententia in medio carminis disticho (11. 12) dicta videtur:

Auguror uxoris fidos optabis amores
iam reor hoc ipsos edidicisse deos.

quod distichon praecedunt quodque secuntur quina disticha. Illa (1—10) adventum Genii natalis nuntiant, qui quod Cornutus rogarit ei allaturus dicitur: in his (13—22) melius quid optare potuisse Cornutum negat poeta atque iam vota non irrita fore dicit. Ultimo disticho verbis *hic veniat natalis avis* ad initium revertitur poeta.

Auctor carminum tertii libri quem inter Tibullianos invenimus, quemque brevitatis caussa Lygdamum nominabimus, ut in multis aliis sic hac quoque in re Tibullum imitatus est in uno saltem carmine eoque perbrevi, quod primum horum carminum locum obtinet. Quod ut perspiciamus, paullo diligentius in ipsum carmen nobis erit inquirendum. Primis enim tribus distichis hoc dicit: Martis Kalendae venerunt atque omnes amatores puellis aliquid muneri dant: vos ergo Pierides dicite, quo munere Neaeram donem. Sequitur responsum. Sed quis respondet? Certant viri docti. Dum enim exspectamus Pieridas ipsas respondere versu 8 sequitur:

Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis,

ita ut Musas dixisse putare non possimus, sed poetam potius ipsum illarum nomine loqui. Qui tamen ita sentiunt, mox offendent in versu 12, ubi scriptum legimus:

Indicet ut nomen littera facta tuum.

Haec enim verba (v. 7—14) ab eodem dicenda esse, neque igitur ferendum esse illic *meis* hic *tuum* vocabulum, patet, quamvis duo editores hoc tulerint: Scaligerum dico et Rossbachium. Scaliger ad primum locum haec adnotat (castig. p. 163): „nihil enim impedit, Tibullum ipsum ista sibi dicere: et, si diligenter inspiciamus, non locuntur hic Musae.“ De altero autem loco nihil addit, neque Rossbachius, quomodo quae exhibet verba intellexerit, profert. Quam lectionem si aliquo modo intellegere volumus *tuum* ad Neaeram trahendum esset: quod tamen iam propterea tolerari nequit, quia per totum carmen exceptis ultimis versibus de Neaera dicens tertia utitur persona. Codices autem si consulis, primo loco omnes exhibent *meis*, altero loco omnes *tuum*, nisi quod scriptor mali codicis coniectura sine dubio usus in margine *meum* correxit. Omnes fere editores secundum *tuum* in *meum* mutaverunt: solus Lachmannus, quem secutus est Hauptius, ut simul subiectum sibi quaereret verbi *pumicet*, quod, ut in codicibus legitur carmen, deest, pro *tuum* poetam scripsisse voluit *puer*, coniectura usus, ut mihi videtur, infelicissima. Nam non solum litterarum mutatio non parva est, sed tota etiam oratio subiecto ita postposito vehementer claudicat: subiectum autem illud multo facilius invenietur, si quam lectionem Muretus tacitus edidit amplectimur:

Pumex et canas tondeat ante comas,

ubi secundi enuntiati subiectum est *littera facta*, quae verba, Lachmannum si sequimur, trahenda essent ad haec: *indicet ut nomen tuum.*

Totum autem carmen si spectamus, nobis persuasum iriputo, non *tuum* mutandum esse sed *meis*. Versu 5 enim Musas ipsas ut dicerent, quid Neaerae donaret, incitaverat. Versu 15 iterum ad Musas oratio redit, ex quibus, ut librum ornatum eum in modum, ut erat expositum, ad

Neaeram deferre velint, petit quibusque alia mandata dat. Musas autem quasi praesentes adloquitur verbis *per vos, ite domum, donate libellum e. q. s.* Quae si cum primis versibus coniungis, cogitari mihi nullo modo posse videtur, non Musas ipsas sed poetam eorum nomine respondere: id quod omnem colorem poeticum tolleret. Recta autem quae nobis videtur interpretationis via, eam iam ingressus est unus ex antiquissimis editoribus Tibulli, Muretus, qui haec habet (scholia in Tib. p. 55): „Dialogus est poetae cum Musis sanequam elegans. Cum Kalendis Martiis ad mulieres munera mitti soleant, dicite, quo modo potissimum Neaeram meam debeam munerari. Tum illae: Mittito ei versuum tuorum libellum, omni diligentia exornatum atque expolitum. At poeta: Immo vero vos ipsae ite ac librum ad eam perferte, meque apud ipsam in quam maxima gratia ponite." Atque hanc interpretationem totius carminis unice veram esse puto. Altera autem interpretatio ea ex re orta esse videtur, quod nimis abrupte atque subito Musas loquentes inducit poeta alio prorsus modo atque Tibullus, qui, si personas loquentes facit, disertis verbis hoc dicit (cf. I, 4, 8; 6, 50). Sed excusationem, si ea opus est, et defensionem poeta ea sibi re parare potest, quod compositione carminis loquentium mutatio iam satis indicata erat. Primum enim tribus distichis, quid velit curque eo die Musas interroget, exponit. Respondent Musae quattuor distichis, post quae iterum quattuor distichis poeta Musis imperat, ad Neaeram eant, librum ei tradant simulque dicant, quod ultimis tribus distichis exposuit poeta, quodque totius carminis exitus et summa est. Quam numerorum rationem $(3 + 4 + 4 + 3)$ quemquam legentem et inprimis audientem fugere potuisse non puto, ita ut ea re adiutus dubitare nequiret de carminis structura et de loquentium persona. Librarii autem non intellegentes

nexum totius carminis et inde a versu 7 Musarum incipere orationem, *tuis* vocabulo, quod ibi positum erat, temere in *meis* mutato, alterum *tuum* quod simul emendari debebat, corrigere omiserunt.

Discedere non possum ab hoc carmine nisi uno loco ante memorato, qui in codicibus corruptus iam dudum restitutus videtur, a novissimis autem editoribus — Disseno, Lachmanno, Hauptio — non mutatus est. Versibus 11 et 12 enim:

> Summaque praetexat tenuis fastigia chartae
> indicet ut nomen littera facta tuum.

Omnes fere editores offenderunt in verbis *littera facta*, quod ex animadversionibus licet concludi, in quibus vulgatam a codicibusque exhibitam lectionem exemplis probant. Sed omnes hi loci, ut brevi dicam, quos protulerunt interpretes, mihi non persuaserunt, ut *littera facta* itas impliciter nullo epitheto addito positum bene Latine dici posset. Si enim Cicero (Quaest. Acad. IV. 2) dicit: „ne litteram quidem ullam facimus nisi forensem“: hoc nullius est momenti: magnum enim intervallum intercedere inter *nullam litteram facere* et *littera facta* quis negabit?

Idem in Plauti locum cadit (Asin. IV. 1. 22):

> Conburas, si velis,
> ne illi sit cera, facere ubi possit litteras.

ubi praeterea *litteras* non *litteram* scriptum est. Eos igitur locos intueamur, ubi *factus* verbum ea, qua hic, significatione positum est. Plane diversus a nostro, etsi primo adspectu similis, locus est Ovidii (Her. V. 1. 2):

> Perlegis? an coniunx prohibet nova? perlege! non est
> ista Mycenaea littera facta manu.

Hic enim additum est, quis fecerit litteram: quare prorsus alia est res. Neque si quidam interpretes, ut *factus* simpliciter positum demonstrarent, Horatii verba (Sat.

I, 10, 58) protulerunt, hoc mihi recte fecisse videntur. Ibi enim *versus magis facti* idem sunt atque *arte facti* neque iniuria ibi alii interpretes comparaverunt Graecorum πεποιημένος (πεποιημένη λέξις).

Prorsus aliter noster locus, ubi *facta littera* non melius intellegetur, quam si patria lingua usi diceremus: ein gemachter Buchſtabe. Quod iam J. H. Vossius sensit, qui *littera facta* ieiunum dicit vocabulum. Mihi primum placuit *picta* emendare: huic autem sententiae adversatur, quod sequenti versu legitur *pingantur*. Vossius ex editione vetere, quae tamen auctoritatem habet nullam (Basileensis est anni 1569, auctore Huschkio) *pacta* emendandum censet. Quod quidem multo melius placet, quodque a Tibullo scriptum esse contenderim. Participio *pactum* significatione figendi, quam plerumque *panctus* habet, Ovidius quoque utitur (Her. II, 4) eodem sensu:

Littoribus nostris ancora pacta tua est.

Primum etiam carmen libri secundi, si recte vidimus, peculiari arte ita compositum est, ut versuum numerus sententiis respondeat. Summa quae inest in hoc carmine sententia haec mihi videtur esee, ut occasione oblata — Ambarvalium festo — vitam rusticam maiore atque elatiore carmine praedicet. Hoc se peragere velle versus 37 et 38 indicant, quos praecedunt duo disticha, quae Messallam, ut adsit sibique adspiret invitant. Ibi igitur ipsa medulla quasi carminis incipit. In iis qui praecedunt versibus a festo celebrando, quae erat proxima carminis caussa, hucusque sensim nos traducere poetae erat propositum. Quod propositum mira arte solvit.

Bis enim duobus distichis (1—4 et 17—20) deos ipsos advocat poeta, atque in carmine tales formulas recitat quales quamvis aliis verbis conceptas sine dubio agrestes adhibuerunt festo illo die. In eis distichis, quae intersunt

inter eos versus (5—16), atque quae secuntur eos usque ad medii carminis de quo iam diximus initium (21—32), non deos adpellat sed rusticos eisque mandata quaedam dat: prioribus versibus (5—16) de ratione, qua se ad Ambarvalia rite celebranda aptos reddant, posterioribus (21—32) de eventu precum quas instituerint. Quae ratio, quam inter duas initii huius partes intercedere diximus, iam ea ex re perspici potest, quod quattuor illis distichis deos advocans se una cum rusticis diis opponit, primaque utitur persona *lustramus*, *purgamus*, ceteris versibus sibi rusticos opponit, quos 5—16 secunda adloquitur persona, versibus 21—32 partim tertia *rusticus ingeret*, partim iterum secunda *proferte*.

Hi autem versus, quibus rusticos adloquitur inter se quoque magna cum arte compositi sunt. Primum versus 5—16 manifesto separandi sunt in duas partes, quarum unaquaeque sex continet versus: sex primis (5—10) exponitur, hoc festo die ab omni labore et homines et animalia esse liberos: sex ultimis (11—16), castos solum diis placere posse, eamque ob caussam candidam turbam agnumque ad fulgentes aras euntem unicuique exemplo esse. Postquam precatus est a diis, ut bona evaderet messis et omne infortunium remotum esset a rusticis, tribus distichis iam praesentit messem felicem fore eamque vividis imaginibus depingit (v. 21—26): cui fortunae futurae opponit (cf. *tum* v. 21. *nunc* v. 27) gaudia, quae nunc ritus a religione praescriptos sequentur, magnaque cum elegantia, ut Messallae fiat memoratio, quemque ad pocula dicere vult „bene Messalla“.

Sequitur medium carmen, ut Disseni more loquendi utar, quamquam is medium carmen iam a versu 15 incipere vult. Postquam igitur Messallae ope se rura rurisque deos canturum dixit (33—38), quod sibi proposuit peragit. Variis hunc ad finem imaginibus vitam rusticam

nobis enarrat ex eaque omnia fere, quae vitam hominum exornarunt, artes, artificia aliaque orta esse praedicat. Quae tamen vitae ruralis imago ita a poeta est exhibita, ut singulos gradus perfectionis distinguat, quorum unusquisque duobus describitur distichis. Primum rusticorum officium fuit, ut domos sibi aedificarent agrosque aratro fertiles redderent (39—42): tum (43—46) fructus, poma et vinum, serere docti sunt agricolae: tum (47—50) frumenta ac mella rustico esse paranda docet poeta. Iam ad maiora transit: non quae unicuique rustica esse videntur solum agricola invenit: ars quoque litterarum ab eo originem duxit: agricola labore fessus ad avenam cantare coepit itaque lyricae poesis origo est rure repetenda (51—54): quin tragoedia ibi primum est inventa, cum carmine qui tragico vilem certavit ob hircum rusticum fuisse necesse sit (55—58): rus denique et pueros docuit coronas nectere eisque Lares ornare, et puellas lanificio operam dare (59—62): hacque re rus etiam feminarum labori primam materiam praebuit. (63—66). Ita septies duobus distichis ruris laudes cecinit poeta, quae disticha non singulatim posita esse iudicanda sed coniuncta, verba demonstrant, quae plerumque in duobus deinceps distichis eodem modo leguntur. Sic in primo et secundo legimus *illi*, in tertio et quarto *tum*, in quinto et sexto *rura* et *rure*, in quattuor sequentibus *agricola* bis repetitum est, sequitur bis *rure*. In ultimis duobus distichis deest tale verbum.

Sed ut a ruris praedicatione ad Ambarvalia redeat carmen, cum v. 37 dixisset, se rura canere velle rurisque deos, hac re utitur, quod ipse Amor rure natus dicebatur. Hunc igitur dicit quamvis rusticum nunc tamen doctissimas habere manus (67—72); totidem versibus quam nunc apud homines possideat auctoritatem exponit (73—78), qua occasione utitur, ut ab eo precetur, sibi comitibusque suis

propitius sit (79—82): quem ad finem rusticos adhortatur, ut sibi et pecori quisque deum vocet atque palam quidem, quia nimius est strepitus (83—86). Quae cum bis duobus distichis expresserit, ultimis duobus noctem appropinquare ait simulque somnum atque somnia (87—90): ita ut totum carmen ad iustum finem perduxerit, carmen omnium, ut mihi videtur, Tibullianorum pulcherrimum.

Hac nostra huius carminis dispositione proposita iam indicavimus nobis secus videri atque Heynio, qui totum distichon 57 et 58 delendum putavit, quippe quod ex margine irrepserit. Nihilo tamen minus hoc distichon iam restitutum atque persanatum legi nemo est qui profiteatur. Codicum enim lectionem:

Dux pecoris hircus: auxerat hircus oves.

tolerari non posse, iam duplex in verbis *pecoris* et *hircus* extans vitium metricum ostendit: quorum etsi unum transpositione horum verborum tolli posset, alterum tamen remaneret, prima pentametri pars correpta ultima syllaba: id quod apud huius aetatis poetas non invenitur. [1]) Quod

[1]) In dubitationem hoc vocavit Lucianus Müller, qui in libro de re metrica poetarum Latinorum p. 331. haec habet: »tamen ne numquam credas in medio pentametro breuem porrigi, his Propertii et Martialis vetaris exemplis [Prop. II, 8, 8; Mart. IX, 101, 4. XIV, 77, 2.]« Qua de re ut recte iudicemus, breviter recordemur necesse est totius quaestionis. Veteres grammatici certum non proferunt iudicium: ubi enim hac de re locuntur (cf. Terentianum Maurum p. 2421. Marium Victorinum p. 2558. P.), primum affirmant priorem pentametri partem brevi syllaba concludi non posse: tum autem adiciunt, quosdam non dubitasse primam partem correpta finire syllaba: quod an concessum sit non dicunt, non tamen celant, se severiori legi maiorem attribuere auctoritatem. Ipsos scriptores igitur cum inspiciamus, ut inde quid hac de re censuerint, cognoscamus, non recte factum videtur, quod Lucianus Muellerus ita, ut fecit, poetas miscuit, Martialem cum Propertio coniungendo. Nonne hic observare legem potuit, ille neglegere? Propertii antem aequales si consi-

ad emendationes attinet, quae a Mureto est proposita, ita est ieiuna, ut vix ferri possit. Hauptius Waardenburgii coniecturam in textum recepit:

dux pecoris: curtas auxerat hircus opes.

Quae coniectura, etiamsi discesseris ab eo, quod non lenis est mutatio verborum a libris oblatorum, per se quoque spectata omnino non placet: quid enim addi potuit verbis illis magis superfluum et ridiculum, quam hunc hircum, qui illi ut memorabile munus tradebatur, prius auxisse oves? Aliter enim Hauptii quoque lectio *auxerat opes* intellegi nequit.

Mihi aliter prorsus explicanda haec res videtur. Cum enim alteram pentametri partem spectemus ita ut in libris legitur *auxerat hircus oves*, non valde veri dissimile videtur, si hoc ex duplici scriptura primae partis pentametri et ultimi prioris versus verbi ortum esse suspicemur: *auxerat* ex voce *dux* mutabatur, *hircus* iterabatur, *oves* ex *ovili* sumebatur. Itaque sine dubio lacuna statuenda erit, quae

deramus praetereaque Catullum: in huius carminibus distichis quae sunt scripta, si negligis, qui huc non pertinent, versus, ubi hiatus extat inter duas pentametri partes (qui loci tamen et ipsi non sani videntur et plerumque iam restituti sunt. Sunt autem: 66, 48; 67, 44; 68, 158; 97, 2 Haupt.) semel tantum occurrit pentameter, severiorem legem qui non observat (100, 6), qui tamen manifesto corruptus a codicibus ehibetur. Apud Tibullum praeter nostrum locum tres leguntur, quibus eodem modo laborat metrum:

I, 4, 44. Venturam admittat imbrifer arcus aquam
II, 3, 14. Lacteus et mixtus obriguisse liquor
II, 4, 38. Fecit, ut infamis hic deus esset Amor.

Ultimus locus iam per se a verbis laborat: ut non dubitandum sit, recte Heinsium coniecisse pro *hic sic* esse scribendum, qua mutatione et metrum et verba restituuntur. Medius locus ab omnibus merito corruptus habetur. Primus per se emendatione non eget: cum tamen unicus sit apud Tibullum sine dubio facilis eiusdem Heinsii mutatio *nimbifer* erit accipienda. Ovidius his

a librariis verbis quibusdam ex iis, quae praecesserunt, haustis expleta est. Legendum erit igitur:

Huic datus a pleno, memorabile munus, ovili
dux pecoris [hircus]

hircus enim facile potuit erui e *dux gregis* verbis.

Lacunas non semel extare apud Tibullum, quis est qui nesciat: sed tales etiam versuum particulas, ubi defuerint in libris, a librariis eiusmodi artificiis restitutas esse quibusdam exemplis potest probari.

I, 5, 61, ubi de paupere loquitur poeta diviti longe praeferendo a puella, haec leguntur:

locis legem memoratam non observasse dicitur (a Schneidero grammat. lat. I. p. 748):

1. Fast. III, 500 Merkel: Me tua. et hic laedit ille pudendus amor.
2. ex Ponto IV. 3. 44. Indigus effectus omnibus ipse magis.
3. Her. XVII. 228. Unde petam fratris unde parentis opem?
4. Her. XVII. 256. Militia est operis altera digna tui.
5. ex Ponto I, 3, 74. Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.
6. ex Ponto I, 4, 46. Illo quod subiit Aesone natus opus.

ex quibus locis primus aperte corruptus est, alter ex disticho sumtus est, quod sine dubio subditicium est. Tertius et quartus locus iam restituti leguntur in novis editionibus (in illo nunc *fratres* legitur, in hoc *operis tuis)*: sed hi omnino, huc trahendi non sunt, quippe qui in epistula legantur, quae omnium fere consensu Ovidio non est tribuenda. Quintus denique et sextus locus hic iam memorari non possunt, postquam Lachmannus ad Lucr. p. 207 nos docuit, *abiit, subiit, petiit* ultimam producere syllabam.

Restat igitur apud poetas eius temporis unus ille locus Propertianus (II, 8, 8 H.)

Vinceris aut vincis: haec in amore rota est.

Hoc uno igitur loco, iure interrogabimus, quomodo possit demonstrari poetas sibi hanc licentiam sumere potuisse, dum aliis in locis mutantur poetarum verba? Nonne rectius videatur hic quoque aliter si poetam scripsisse putabimus? Quod si fecerimus, huius temporis poetas ab hac licentia liberaverimus et Martialem primum id sibi sumsisse censebimus, id quod multo videtur veri similius.

Pauper erit praesto tibi praesto pauper adibit
primus et in tenero fixus erit latere.

ubi hexametrum vix est qui sanum ducat esse. Hic igitur tali modo cum in exemplaribus legeretur:

Pauper erit praesto . . . . adibit

librarii, qui magis qui legi quam qui intellegi posset versum desiderarent, verba *praesto pauper* vel *tibi praesto pauper* repetierunt. Quam meam sententiam adiuvat, ni fallor, ea res, quod in excerptis Scaligeranis, quae post ortam ante expletam lacunam scribi potuerunt, sic legitur hic versus:

Pauper erit praesto: semper te pauper adibit
primus. e. q. s.

Prorsus similem quam noster locus corruptelam passus est sine dubio locus, qui legitur I, 6, 42:

Quisquis et occuret, ne possit crimen habere
stet procul, aut alia stet procul ante via.

Ibi enim pentameter nullo modo intellegi potest, neque facilis quam amplectamur emendatio adest. Sed nonne hic quoque iam antiquitus lacunam fuisse putabimus, eodem quo illis in locis modo expletam? Si ita scriptus fuit codex, ex quo derivantur nostri:

Stet procul aut [alia] . . .

(ubi uncis circumscripsi *alia*, quia adesse poterat, quo tamen verbo opus non erat) facile ex duplici scriptura nostram oriri potuisse lectionem intellegemus.[1]) Itaque non

[1]) Quod si ita fuisse nobis persuasimus, hac re iuvatur opinio quaedam, quam Kornius amicus in quinta sententiarum controversarum, quas dissertationi suae adiunxit de publico Aeschyli, Sophoclis, Euripidis fabularum exemplari Lycurgo auctore confecto Bonnae 1863 scriptae nobiscum communicavit. Est autem haec: „Tibulli carmen libri primi sextum ex tribus fragmentis compositum est, quorum primum complectitur vv. 1—42, alterum vv. 43—56, tertium vv. 57—86.“ In tres igitur partes dirimere voluit hoc carmen: bis ergo carmen divisit, quarum divisionum prima tantum huc pertinet. Caussa quae ut divideret carmen impulit Kornium haec, ni fallor, maxima erat: in prima carmi-

mirum videbitur, si eo quoque carminis primi libri secundi loco, de quo egimus, pentametrum mancum esse dicemus, neque coniecturis, quae verba a codicibus oblata mutare volunt, sanari posse. Totius igitur carminis, si denuo spectamus, structura haec erit:

Initium v. 1—32. 2. 3. 3. 2. 3. 3.
Medium carmen. v. 33—66. 3. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2.
Finis. v. 67—90. 3. 3. 2. 2. 2.

Merito qui nostram carminis huius dispositionem perlegit mirari non potest, nos mentionem nullam fecisse conatus, quem Fr. Haasius in programmate universitatis Vratislaviensis anni 1855 fecit (inscriptus est hic libellus: de tribus Tibulli locis transpositione emendandis). Is enim huic carmini adiungere voluit quosdam versus (51—68) ultimi primi libri carminis, quos ibi non quadrare putavit.

nis parte manifesto coniugi quidem nupta est Delia, quod et ex tota poetae condicione facile concludi potest et disertis verbis dictum est a poeta (vv. 8. 15. 33.): cum autem versus, qui inde a versu 56 incipiunt, paullo accuratius inspiciamus — versuum 42—56, qui ad hanc rem iudicandam nihil nos iuvant, nunc ratione non habita — inveniemus in hac carminis parte de nupta vix loqui poetam: loqui potius de puella, quae una cum matre habitat, quamque sibi non fidelem esse suspicatur. Petit a matre, ut eam castam esse doceat (v. 67), monet eam, ne metu sed mente fideli casta sit (75): quae omnia una cum imagine, quam de Delia senescente proponit poeta sub finem carminis, dici non poterant de nupta ,quae fida erat, cum coniugem solum amaret, poetam sperneret, sed de puella, quae a Tibullo amata huic suspicionem moverat inconstantiae. Quae si ita fuisse putabimus — atque ego hac in re Kornio adstipulor — haec coniectura non minime adiuvatur iis, quae de lacuna diximus in versus 42 ultima parte. Usque enim ad eum versum Delia nupta, postea ubi de ea loquitur poeta, puella. (v. 55.) Versus 45—56 cur a posteriore carminis parte secernendi sint, non video caussam, praesertim cum cogitemus in versibus, qui sine dubio praecesserunt versui 42 inesse potuisse sententias, quibus eorum, quae nunc fragmentum sunt, nexus illustraretur.

Qua in sententia quin erraverit vir doctissimus, vix est dubitandum. Videamus enim quam pulchre atque apte poeta carmen claudat ea re quod omnes homines dormientes et somniantes facit: ita ut mirum prorsus videatur rusticum male sobrium noctis quietem turbare neque ipsum ut reliquos dormire. Atque quod mihi maxime adversari videtur Haasii opinioni: iteratio imaginum, quae ad Amorem eiusque proelia spectant, sub finem carminis tolerari nequit. Neque puto quemquam hac in re Haasii partes suscepturum: contra dixerunt eius sententiae Kemperus in „Quaestionibus Tibullianis“ quae Monasterii prodierunt anno 1857 atque Kindscherus in Musei Rhenani tomo XVII. p. 150.

Quod ad eum locum attinet, ubi demere voluit versus Haasius i. e. I, 10, 50 caussam huius rei extare nullam iam Kemperus demonstravit l. l. neque Hauptius, cum asteriscos poneret in editione sua, Haasii sententiae assentiri, sed indicare voluit, sibi unum distichon deesse videri (id quod ex libro manu scripto cognovi, quo quid Hauptius in scholis Berolini habitis de quibusdam carminibus censuerit, enarratum est). Rectissime autem mihi omnes fere interpretes eo consentire videntur, quod versum 51, ita ut nunc est, cum versu antecedente cohaerere non posse dicunt: cuius rei igitur caussa cum a Haasio iamiam sit exposita iterum proferenda non videtur. Hauptius, Kemperus, Kindscherus ea re sanare locum conati sunt, quod distichon deesse dicebant: quam viam cum improbare non possim, liceat tamen mihi aliam proponere dignam fortasse, quae cum illa comparetur. Nonne difficultatis maxima pars tolletur, si ita invertemus ordinem distichorum, ut qui nunc sunt versus 47 et 48 post versum 50 ponantur? Ita rusticus male sobrius statim sequeretur uvae a patre in usum liberorum satae memorationem, copulatioque illa

molesta versus 51 cum versu 50 tolleretur. Sic igitur legeremus:

45 Interea Pax arva colat. Pax candida primum
46 duxit araturos sub iuga panda boves,
49 pace bidens vomerque vigent, at tristia duri
50 militis in tenebris occupat arma situs,
47 pax aluit vites et sucos condidit uvae,
48 funderet ut nato testa paterna merum:
51 rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse
52 uxorem plaustro progeniemque domum.
53 sed Veneris tum bella calent e. q. s.

Quarum emendationis viarum utra utri sit praeferenda, diiudicare non ausim. Quibus rebus absolutis, observationes de carminum structura iam mittamus, paucasque addamus de singulis locis commentationes.

Carmen quintum libri secundi insignem inter carmina Tibulliana obtinere locum, non est quod dicam. Simul autem prae aliis haec elegia passa est infelicem fortunam. In omnibus enim codicibus in duas divisa legitur partes, quarum prima ad versum 38 usque pertinet, altera inde ad finem. Has autem partes non fragmenta esse sed unam elegiam iam Scaliger ea re manifesto ostendi viderat, quod ad eandem rem quae in priore parte agitur — Messalini nempe gratulationem — in fine carminis revertitur poeta. Neque extabit, qui nunc quin unum sit carmen dubitet. Alia tamen est quaestio, quomodo factum sit, ut carmen manifesto unum in duas divisa sit partes. Atque huius rei caussam nobis suppeditant, quae Puccius profert „una elegia, cum superiore coniungitur," atque quae Perreius habet „vacat hic vetus codex. Multi faciunt principium alterius elegiae." Cum igitur lacuna exstiterit in codicibus, a quibus derivantur nostri, hi non dubitarunt novum incipere carmen, nexus sententiarum ratione nulla habita. Sed la-

cunam fuisse cum resciverimus, altera oritur quaestio, anne eo loco, ubi ea fuerit, nunc quoque deesse aliquid censendum sit. Unde enim illa lacuna orta esset, quidve significaret? Nonne mirandum potius esset quam exspectandum, omnia ibi recte se habere? Primus quod scio in hoc loco offendit Gruppius, qui in libro iam memorato de elegia Romana inde a p. 76 usque ad p. 95 latius hoc de carmine disseruit. Ille hoc potissimum sibi molestum atque omnino non ferendum videri dixerat, quod, cum v. 19 et 20 iam a poeta dictum esset Sibyllam Aeneae sortes dedisse, ipsum oraculum duodecim demum versibus interiectis sequeretur, atque talibus quidem versibus, qui novi aliquid inferrent, quod neque cum oraculo neque cum Sibylla necessario vinculo coniunctum, digressio potius esset quam maxime inopportuna. Maxime autem molesta videbatur oratio Sibyllae post digressionem illam nullis verbis introducta, quibus loqui illam indicaretur. Quae omnia ita sunt comparata, ut, quomodo priores hoc ferre potuerint editores non intelligam. Hauptius (quod ex eodem quo supra hausi fonte) huic loco medicinam afferri posse censet, si distichon ante v. 39. omissum esse statuamus. Gruppius haec disticha ex duplici huius carminis rencensione orta esse putat, quas quominus nova carminis retractatione instituta confunderet poeta itaque misceret, ut unum atque continuum prodiret carmen, mors impediverit poetam: cui sententiae ea quoque re adiumentum parat, quod omnino in secundo libro et praesertim in hoc carmine vestigia remanere dicit, quae indicent, hunc librum a poëta non esse absolutum. Atque in hoc carmine praeter hunc locum versus 67—80 esse putat, qui non perfectum esse carmen manifesto prodant. Ibi enim alia est quaedam digressio poetae, quae primo adspectu mira videtur: sed totius carminis indolem spectantem non fugiet, haec bene cum cetera carminis parte cohaerere

atque caussam non esse, cur in eo offendamus. Quod hic latius explicare possem, nisi id iam a Lachmanno factum esset, qui in recensione editionis Dissenianae (Allg. Lit. Ztg. 1836. p. 260) huic carmini explicando peculiarem operam dedit. Cum igitur hoc loco tales conatus, quales instituit Gruppius, veri similitudine careant, illo quoque loco eodem modo quo Gruppius corruptelam, quam passum est carmen, explicare vix ausim, praesertim cum relicum carmen bene compositum legamus neque ullum similis corruptelae indicium appareat.

Etiamsi autem discesseris ab hiatu illo, quem inter versus 38 et 39 intercedere vidimus, versus ipsi quoque illi nobis eo loco ineptissime positi videntur. In qua re omnino fere cum Gruppio consentio. Illud distichon (31. 32)

> Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo
> nam calamus cera iungitur usque minor.

non solum maxime est ieiunum sed ridiculum etiam videtur, quippe quod nihil dicat nisi arundinis ordinem decrescere, quia maiorem calamum sequeretur minor. Quod quomodo poeta dignum credi possit, non intellego. [1]) Atque ea etiam quae sequitur imago puellae placiturae magistro (non iniuria Gruppio mirum videbatur repetitio verbi *placitura* v. 51) pusilla lectori videbitur atque humilis. Sed de talibus certare licet, atque doleo me hac in re dissentientem habere Lachmannum, qui hoc de loco dixit (l. l. p. 261): „In der idyllischen Einleitung tritt zum ersten Mal und in recht behaglicher Ausführlichkeit (beson-

[1]) *nam* particulam non quadrare hic iam Heinsius atque Vossius senserunt, qui hoc vocabulum corruptum putant esse. Sed quod eius loco ut legamus proposuerunt viri docti (Heinsius *dum* legere voluit, Vossius *et:* quod verbum Wunderlichius quoque in editione sua exhibet) non meliorem reddunt sententiam. Abiudicavit hoc distichon a Tibullo iam Mitscherlichius in libro: Tentamen criticum in aliquot Tibulli loca. Gottingae 1800. p. 10.

ders v. 31. 32. 35—38) die Gesinnung des Dichters hervor, dem die Grösse Roms nur als ein Uebergang aus einer reizenden Ländlichkeit wichtig ist.“ Cum autem totam hanc digressionem spectamus atque quem locum in toto carmine occupet consideramus, nonne permirum videtur, poetam, priusquam Sibyllam magnificam illam atque vere poeticam de Romano imperio vaticinationem proferentem facit, qua in oratione aliquoties easdem quam in digressione illa sententias expressit (hoc versibus 53 et 54 cum 25 et 26 comparatis invenies), hanc diffusam atque verbosam expositionem praemisisse unius sententiae *Roma tum non exstabat*, quam sententiam in ipsa Sibyllae oratione iustum tenere locum non mirabimur. Ac praeterea animadvertendum est, quam inepte haec digressio cum eis quae praecesserunt verbis coniuncta sit. Aut enim illud *credebat* a *postquam* verbo pendere dicemus, quod fieri non posse propter temporum diversitatem in verbis *dicitur* et *credebat* Wunderlichius observavit: aut *credebat* ab unoquoque hoc carmen legente neque quae secuntur observante ad Sibyllam trahetur. Sententiarum nexui responderet Heinsii coniectura:

Haec fore prodebat Romam, cum e. q. s.

sed vel ita *dedit* et *prodebat* coniuncta tolerari non possent. Horum versuum auctor potius, ut imagines illae (23—38) in carmine locum habere possent, Aeneam dicentem fecisse videtur, cum Troiam relinqueret, se non credere fore Romam, ut ita externo magis vinculo, quam iusta sententiarum coniunctione versus inde a 23 iungeret prioribus.

Accedit alia ratio, qua hi versus diversi sunt a relicuis huius carminis versibus et omnino ab omnibus Tibullianis. Rarissime enim scimus Tibullum hexametris usum esse post quartum trochaeum incisis (cf. quae Lachmannus dicit in adnotatione ad carmina Lygdami scripta

p. 44). Septemdecim in omnibus carminibus euismodi inveniuntur versus [1]), ex quibus septem tantum in secundo libro leguntur. Qui ita sunt distributi, ut in his novem hexametris ter inveniamus hanc caesuram, in ceteris (sunt 205) quater tantum. Num haec fortuna accidisse putabimus? An hac re convicti nobis persuadebimus, hanc digressionem non esse Tibullianam? Haec enim nostra est sententia.

Cui favere videntur, quae de codicum condicione cognita habemus. Lacuna enim aliquam caussam habeat necesse est, cumque carmen in duas partes divelli non possit, alia est caussa quaerenda. Quae facile paratur, si sumserimus interpolatorem quendam, cui gratum videbatur esse officium, quae versibus 55 et 56 dixerat poeta de pascuis taurorum in magnam Romam mutatis, imaginibus latius illustrare, istos versus composuisse atque inter versus 20 et 39 immisisse: postea librarium, qui illos cum iis qui secuntur versibus non cohaerere viderat, novum hic carmen incipere putasse. Quae mea de his versibus sententia ut vera sit, necesse est, ut versus 39 bene coniungatur cum versu 20: quod ita esse videmus. Nihil enim poetum impedire potuit, quo minus sic iungeret:

19. Haec dedit Aeneae sortes, postquam ille parentem
20. dicitur et raptos sustinuisse Lares:
39. Impiger Aenea e. q. s.

Sic omnia optime coniuncta esse vidimus: malum inter versus 38 et 39 nexum intercedere, in ipsis versibus inesse, quae magis ieiuna sunt atque ridicula, quam quae Tibullo auctori sint vindicanda, omnes versus eo loco male positos esse carminisque ordinem turbare, inter versum 21 et 22 non meliorem quam infra intercedere nexum

[1]) Cum discesseris a versu IV. 8. 3. non Tibullo sed Sulpiciae ascribendo.

sententiarum, in his versibus poetam saepe caesura usum esse, quae apud Tibullum rarissime invenitur, codices aliquid ibi turbatum esse demonstrare, versibusque denique illis delctis aptam evadere sententiarum et verborum coniunctionem. Quibus omnibus rebus effici mihi videtur, nos a Tibullo aliena resecare, si versum 39 versum 20 sequi profitemur.

In quarto carmine Lygdamus expergiscens grave se expertum esse somnium dicit, quod inde a versu 17 narrare incipit. Prius autem quaedam de fide quae somniis sit habenda exponit, atque iis opponit ea, quae dii extis monuerint, ut quae vera sint, cum somnia sine fide et vana sint. Tum autem v. 11 sic pergit dicendo: utcumque est, sive credendum est somniis sive non credendum, Lucina faciat, vani sint timores mei ex somniis petiti. In quibus versibus, cum quae sententia insit vix dubitare possis, singula tamen verba multis obnoxia sunt haesitationibus.

Ita in versu 3 pars codicum manu scriptorum exhibet *vanum*, pars *vani:* atque modo hoc modo illud secuti sunt viri docti in editionibus. In versu 4 vix dubium esse potest, quin verbum *votis* sit corruptum, neque — nam accuratius in hunc locum inquirere nunc propositum non est — errasse videntur ii, qui Guyeti emendationem secuti *nobis* ediderunt. Neque minus recte ii mihi disputasse videntur, qui versu 11 cum Disseno pro *illi illis* legendum esse censent. Non enim est, quo bene referatur *illi:* desideratur autem oppositio eorum, quae somno nobis occurrunt atque eorum quae divi monuerunt: quae nisi illa coniectura recepta in verbis inveniri non potest. Videmus ergo, nos in his versibus non ita raro occurrere difficultatibus, quae solis codicibus adhibitis dirimi nullo modo

possunt: id quod in summa pravitate codicum Tibullianorum mirum nemini esse potest. Sed initium huius carminis prae aliis carminum partibus esse corruptum luculentissimum documentum extat: distichon v. 9 et 10 dico, quod nunc in plerisque editionibus ita exhibetur:

> Et natum in curas hominum genus omina noctis
> farre pio placant et saliente sale.

Quamvis enim nihil insit in his versibus, quod latine dici nequeat, multa tamen extant, quae minus probabile reddunt Tibullum ita scripsisse. Cavendum enim est, ne verba mera coniectura restituta traditam a codicibus horum versuum lectionem esse putemus. Ita enim ut nunc leguntur a Heynio, Disseno, Lachmanno, Hauptio edita in nullo codice inveniuntur scripta. Sic enim proferunt versus codices, quibus Lachmanno duce inter magnum numerum codicum ut minime malis ad verba Tibulli constituenda atque restauranda uti solemus:

codex A. habet:

et varium (vanum) ventura (metuens) hominum genus omnia noctis

codex B:

et natum maturas hominum genus omina noctis

codex c:

et vatum in curas (ventura) hominum genus omina noctis

codex d:

et vatum metuens hominum genus omnia noctis

codex e:

et vanum ventura hominum genus omnia noctis

Nil dicendum censeo de parva illa diversitate, quae in paenultimo versus verbo in libris invenitur: quippe quae facillimo librariorum errore admitti poterat atque admissa est. Illa autem versus verba, quae tribus primis continentur pedibus summam nobis praebent diversitatem atque

quod nunc legitur, a nullo codice exhibitum sed ex codicibus B et c in unum redactis natum esse videmus. Postea quidem coniectura sine dubio quae nunc exhibetur lectio in quosdam codices est recepta.

In editionibus haec fuit sors versuum nostrorum. Heynio teste primae fere editiones omnes sic legebant (Venetas et Romanam nuncupat):

et vanum metuens e. q. s.

Muretus (schol. in Tib. p. 56.) primus eam quae nunc vulgata est lectionem protulit dicens: *At natum in curas.* ita est in meo vetere libro et melius videtur quam quod in aliis legitur *et vanum metuens.* Huic adversatus est Josephus Scaliger, qui (castig. ad Tibullum p. 166) tertiam lectionem protulit, dicens: *at natum in curas.* Haec omnia vulgus interpolatorum conspurcavit. Scripta lectio nullo modo mutari debet:

Et vanum ventura hominum e. q. s.

Continuanda autem cum praecedentibus. Somnia, inquit, iubent pavidas mentes falsa timere et homines vani noctis omina mola salsa devenerantur.“ Hanc lectionem ferri non posse Heynius iam ostendit: non enim quae ventura sunt sed quae fuerunt omina noctis homines farre et sale placant.

In hac cruce interpretum iudicanda ordiendum nobis esse videtur a codicum lectionibus inter se comparatis. Ac primum quod ad tertium versus verbum attinet codices differunt inter *metuens*, *ventura*, *maturas* et *in curas:* ultimo loco tamen nominatum solus codex c non ille quidem magni pretii habet. Tria relicua si comparamus verba consentiunt in litteris *tu:* praeterea *metuens* et *maturas* communem habent *m* litteram: in fine vocabulorum vero consentiunt *ventura*, *matura*, *in curas* ea re quod omnes *ura* habent. Cum autem talibus in rebus initio vocabulorum

plus auctoritatis tribuendum videatur quam fini, qui saepe compendiis scriberetur, maxima fides hic habenda videtur esse verbis *matura* et *metuens*, quippe quae initio prorsus similia facillimo librarii errore mutari potuerint. *metuens* autem aut *maturas* legimus in codicibus B et d et in codice A a secunda manu scriptum *ventura* quod, ut vidimus, apte intelligi nequit, coniectura ortum erit: ex quo denique in codicem c iterum coniectura *in curas* irrepsit. Duorum autem illorum verborum, quorum alterum ab initio positum fuisse demonstravimus, alterum *maturas* neque verbis neque versui convenit, ita ut denique eo pervenerimus, ut *metuens* plurimam habere auctoritatem dicamus.

Quod ad primum verbum attinet, praeter B codicem omnes *v* primam litteram esse testantur: cum autem neque *vatum* neque *varium* intelligi possit, quod in ea verba facile mutari potuit, *vanum* in codice ex quo nostri sunt derivati scriptum fuisse statuemus. Redeundum igitur nobis codicum auctoritate fretis ad antiquissimam lectionem:

> Et vanum metuens hominum genus omina noctis
> farre pio placant et saliente sale.

quae verba ita intelligenda putamus: „et vanum hominum genus metuens omina noctis.“ Verbo *vanus* libenter hoc in carmine poeta usus videtur: quinquies enim legitur (vv. 3. 9. 13. 56. 68). Omnino hoc verbum octies apud Lygdamum, semel tantum apud Tibullum legitur (I, 4, 84). Mihi autem non solum codicibus magis firmata videtur quam proposuimus lectio, sed multo etiam magis placet quam vulgata: multo rectius enim poeta homines qui omina noctis placant haec metuere dicet, quod et praecedente versu iam dictum erat, quam homines in curas natos esse.

Postremo duos addam locos liceat, de quibus brevius poterit disputari.

I, 6, 7 de Delia loquitur, quam furtim alii amatori favere suspicatur: illam quidem negare sed se puellae non credere, quippe quae et viro neget, se cum Tibullo facere. Quae ita exponit:

> Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est:
> sic etiam de me pernegat usque viro.

Verba *tam multa* aut ita explicantur, ut idem valere dicantur quod *tam multum*, ut aut *multa* singularis numero positum dicatur, ut idem sit quod: tam multa est in negando. Sed ita si poetam dixisse facimus, in *tam* vocabuli usu est offendendum, quod hac superlativa significatione nusquam invenitur. Qui enim, ut id probetur, solet afferri Catulli locus nunc restitutus legitur (VIII, 6):

> ibi illa multa *tum* iocosa fiebant.

tam multa igitur corruptum putamus esse. Vera poetae verba ut indagemus, fortasse nos Ovidius auxilium feret, qui (Trist. II, 447—464) ex hoc atque ex praecedente carmine multos locos eosque semper fere iisdem paene verbis memorat. Sic nostrum versu 447 ita habet:

> Credere iuranti durum putat esse Tibullus,
> sic etiam de se quod neget illa viro.

Pentameter idem fere est, hexameter aliam formam propter Tibulli nomen apud Ovidium additum habere debebat. Cum Tibulli versu ea illi intercedit ratio, ut ab Ovidiano *tam multa* notio absit, a Tibulliano *iuranti* notio. Illorum igitur apud Tibullum verborum corruptorum loco haec notio erat inferenda: quod aliter fieri posse vix puto, quam si legimus — iam Heynius id iecit, non tamen recepit —:

> Illa quidem iurata negat, sed e. q. s.

Verbum *iurata* eadem notione exstat apud Ovidium (Am. III, 3, 1):

> fidem iurata fefellit.

I, 8, 35. 36.

At Venus invenit puero succumbere furtim
Dum timet et teneros conserit usque sinus c. q. s.

(*timet* enim multo elegantiorem atque nobiliorem puto lectionem, quam *tumet*, quod et a nullo profertur codice et ignobile videtur atque spurcum).

In verbis autem illis, non intellego, quid dicere velint: Venus invenit puero furtim succumbere, dum conserit usque sinus. Neque Vossium hoc intellexisse puto qui emendavit *conseruisse:* quod ferri non posse puto propter praesentis temporis infinitivos et antecedentes et sequentes. Via tamen emendandi recta videtur. Optime procederet oratio, ita si legeremus:

At Venus invenit puero succumbere furtim,
dum timet, et teneros conserere usque sinus
et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
oscula et in collo figere dente notas. —

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Elegiae primi libri Tibulliani quod ad compositionis tempus attinet, in certum ordinem redigi nequeunt.

II. Thucydidis verba (I, 11, 7 Bekker) corrupta sunt. Fortasse sic restituentur: *περιουσίαν δὲ εἰ ἦλθον ἔχοντες τροφῆς καὶ ὄντες ἀθρόοι ἄνευ λῃστείας καὶ γεωργίας ξυνεχῶς τὸν πόλεμον διέφερον ἄν, ῥᾳδίως μάχῃ κρατοῦντες, οἵ γε* e. q. s.

III. Quae Ribbeckius (Mus. Rhen. tom. XVII. p. 573 sqq.) schemata exhibet carminum quorundam Theocriti (XVI. XVII. XVIII. XXII.) ad certam numerorum rationem compositorum, omnino eiusmodi non sunt, ut poetam consilio ita carmen disposuisse dicere possimus.

IV. Servius in praefatione ad Vergilii carmina bucolica cum dicat (p. 96. Lion): *sane sciendum, septem eclogas esse mere rusticas, quas Theocritus decem habet:* huius carmen primum et deinde carmen inde a tertio usque ad undecimum respicit, Vergilii omnia carmina praeter quartum, sextum et decimum (cf. Haupt de carminibus bucolicis Calp. et Nemes. p. 6).

V. Ultimam carminis I, 15 stropham ab Horatio recte abiudicarunt.

VI. In gymnasiis, prius quam ad Homeri carmina accedant discipuli, necesse est, nt scriptor Attici sermonisiis proponatur.

VII. Nationes quamquam in universum ita sunt discernendae, ut linguae ratio habeatur, cavendum tamen est, ne cetera cuique populo propria indole neglecta linguam unicam discrimen esse credamus, quo cuius sit nationis populus quidam, cognoscatur.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 754 5

VITA.

Gerhardus Henricus Bubendey natus sum Hamburgi a. d. XI. Kal. Ian. anni h. s. XLI patre Henrico matre Augusta e gente Voigtiana, quos adhuc inter vivos esse maximopere gaudeo. Fidei addictus sum luthericae. Litterarum primordiis imbutus anno XLIX gymnasium adii Ioannem quod tum Kraftio rectore florebat. Anno LIX maturitatis testimonio munitus, ut me aptiorem redderem studiis in academia tractandis, per annum frequentavi gymnasium academicum, quod patria in urbe conditum exstat. Inde anni LX vere Bonnam me contuli philologicis studiis operam daturus, quibus ibi per quattuor annos curam impendi. Procedentes autem per hoc tempus audivi Brandisium, Dahlmannum, Gildemeisterum, Iahnium, Reifferscheidtium, Ritschelium, Schmidtium, Springerum, Sybelium, Ueberwegium. Praeterea Schmidtii comitate mihi concessum fuit, ut per ter sex menses interesse possem exercitationibus philologicis, quibus ille vir doctissimus praeerat. Ritschelii autem et Iahnii benevolentia erga me contigit mihi, ut item per annum et dimidium seminarii philologici essem sodalis ordinarius: idemque Ritschelius me societatis epigraphicae per annum participem esse voluit. Quibus omnibus, cum multum de me meruerint, gratias ago quam maximas: inprimis tamen me sibi divinxerunt Iahnius atque Ritschelius: qui viri me semper pio gratoque anima memoriam ipsorum servaturum sciant.

MAY 13, 1886.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 060 754 5